

W. C. G. Schneider

**Anniversariam Illustris Gymnasii Lustrationem Publica Auctoritate Peragendam
Et Solennibus Aliquot Recitationibus Concelebrandam Indicturus : Simulque Ad
Singulas Quinque Dierum Panegyres Splendidissima Frequentia Cohonestandas
... Invitaturus Tit. Livium Ab Indigno Nimii Libertatis Romanae Patrocinii
Opprobrio Vindicatum Disciplinae Suae Alumnis**

Isenaci: Literis Meyerianii, [1796?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn890265364>

Druck Freier  Zugang



ANNIVERSARIAM
ILLUSTRIS GYMNASII
LUSTRATIONEM

PUBLICA AUCTORITATE PERAGENDAM

ET

SOLENNIBUS ALIQUOT RECITATIONIBUS CONCELEBRANDAM

INDICTURUS

SIMULQUE

AD SINGULAS QUINQUE DIERUM PANEGYRES
SPLENDIDISSIMA FREQUENTIA COHONESTANDAS
MUSARUM PATRONOS ET FAUTORES

REVERENTER OFFICIOSEQUE

INVITATURUS

Universitätsbibliothek Rostock
TIT. LIVIUM AB INDIGNO NIMI LIBERTATIS ROMANAE
PATROCINII OPPROBRIO VINDICATUM

DISCIPLINAE SUAE ALUMNIS

PROPONIT

W. C. G. SCHNEIDER,

PROFESSOR GYMNASII.

ISENACI

LITERIS MEYERIANIS.

Cd-62960

UNIVERSITÄT
ROSTOCK
BIBLIOTHEK

*Bibliotheca
Academica
Rostochiensis*

Ex quo primum lacteam et fere Thucydideam ingenii Liviani ubertatem gustavimus, ea vestrum nonnullos, iuvenes suavissimi, mirifice allectos laudabilique in gravissimum historicorum Rom. parentem studio accensos, non sine aliquo voluptatis sensu videre mihi contigit. *) Quum enim haud temere ullus antiquitatis inveniatur scriptor, qui sui feliciter studiosos tantopere delectet, imo vero teneat, quid mirum, et vos eius, quas sentire coepistis, venustatum illecebris esse captos! Et sane, ut alia omittam, quis artem non miretur insignem, qua res naturae adeo convenienter exponit? A quonam suavius et ornatius illustrantur? Ex quo fonte notitiam historiae antiquitatumque Rom. purius atque uberius hauseritis? Quam apto dignitati et ingenio personarum congruente utitur dicendi genere? Videamini in rem praesentem ab eo deducti, qui vobis

*) In tractando hoc historicorum principe quamnam rationem inierim, paucis subiiciam. Vix praemonendum erit, quod neminem fugit. Livium tam ingentem esse Auctorem, cui a capite ad calcem pertractando lectiones publicae haud facile sufficiant, nisi quis tres quatuorve annos continuos uni-isti impensurus esse videatur; quod quidem ab ipsa hodierna scholarum ratione abhorret, unde multo plurimum, quam olim, rerum discendarum haurisset cognitio. Quare doctores scholastici complures lectionem h. A. commendarunt cursoriam; quae neque tamen multum proficiet, si, uti vulgo, et quoque apud nos, singularum hebdomadam duae solummodo illi impendantur horae. Nihil igitur rationibus nostris magis congruere visum est, quam, servata quidem nexus historici perpetuitate nec iis, quae ad materiam, quam tractat, proprie pertinerent, praetermissis, maiora potissimum rerum Rom. momenta, quaeque commemoratione maxime viderentur digna, scienter eligere evolvida; ita ut, praecedente cel. *M. F. Sergolio*, Livius nostris esset quasi pictura historiae Rom. minuta, quae rerum gestarum causas et modos ludumque fortunae referret, praecipue vero hominum, qui in illa agunt, mores pingeret atque repraesentaret, quaque allecti nostri omnia ipsi domi legant et, ut ita dicam, spicilegium messis praeteritae sic faciant. Quae et causa fuit lectionis statariae, quam, probe memor triti illius: non multa, sed multum, ab initio quidem cursoriae putavi praefendam, donec sensim sensimque nostri plenioram quandam dictionis Patavinae facultatem atque adeo familiaritatem adipiscerentur, et sic totum L. proprio Marte intelligere discerent. Quo quidem munere recte fungi arbitrator non nisi eum, qui insitam iuvenili ingenio ex obscuriusculis dictis rerum novarum sensum inveniendi cupiditatem diligenter excitet, excitatam alat, et, summum quod magistrorum scholarum est artificium, suos ad communia secum studia omnique modo alliciat, ut incipiant ipsi suis uti viribus suoque stare valeant iudicio.

non orationes solum varias partes agentium in aures infundat, sed personas etiam ipsis quasi oculis subiiciat. Dicit vix potest, quantum ars eius narrandi distet a vulgari historias conscribendi ratione, quae tantummodo ieiune exiliterque commemoratis rebus gestis absolvitur. Noster summus in narrando artifex tum demum partes sibi impositas transegisse putat, si ad interiora usque penetrarit, si causas, consilia, rationes aperuerit, totumque rerum ordinem in lucem protulerit, atque pulcerrimis acutarum sententiarum floribus orationem consperferit. Quid dicam de acerrimo, quo valet, iudicio, ita ut omnia, quae ad rem gestam spectant, rimetur et indaget, consiliorum adeo arcana eruat, nihilque ex vano haustum velit! Quid de praeceptis prudentiae civilis, quam artificiosissime et narrationibus et orationibus intextis; quae quidem eo maiorem ad animos solent habere vim, quo gravior est praecipientis auctoritas, quoque eminentiores sunt virtutes, quibus omnibus omnium aetatum scriptoribus caliginem induxisse videtur Livius! Quo denique plenior loquendi scribendique elegantiam paraveritis, quam legendo hoc scriptore, qui non sententiosi solum, sed concinni etiam sermonis tam diligentem habuerit curam, ut in eius labris veluti lepores habitasse videantur? Certe ille orationi eius insidens, quem admiramur, color dictionem quodam modo tingat eorum necesse est, qui familiaritate illius et quasi contubernio utuntur. Tales enim naturali quadam et necessaria ratione fieri solemus, quales sunt, quibuscum versamur.

Attamen vos inter legendum Patavinum non tam singularibus, quae Patavitatem saepiuscule redolent, dictionibus haerere uspiam atque impediri, quam frequentiori potius prodigiorum recensione simulque solenniori libertatis Rom. praeconio non nihil offendi, non solum me praeterire non potuit, sed animadvertendi et ipsi vos saepius mihi fecistis copiam. Quam quidem et credulitatis et immodicae licentiae suspicionem, ne inhaereret, obvio quocumque loco animis vestris eripere, eiusque modi scrupulum, ut res ferebat, evellere eo intentius studui; quo arctius tenet quam semel mens juvenilis amplexa sit, sententiam, et quo maioris interest, anticipatam hanc eradicare opinionem, quae optimo A. pattem non minimam fidei famaeque derogaret. Quid enim? scriptorem eximium, cuius lectione animus vester abunde passus uberrimis inde perceptis gaudet fructibus, in tantam superstitionis ac temeritatis reprehensionem incurrere, ut verendum sit, ne non eo, quo par erat, loco habeatur, quem omni existimationis cultu prosequi fas est? Quod igitur ad prodigia attinet relata, variis argumentis me

fae.

674 5 189

saepius evincere meministis; Livium, quem aliqua ratione quasi *αδεισιδαι-
μονα* *) dicere queamus, portentis istis quamvis diligenter ab ipso recensitis
nullam fidem habuisse; praeterea hunc impuros adeo fontes, ex quibus talia
monstra proruperint, nonnunquam indicasse; quaeque omnino arctissime
connexa sint cum universa historia Rom., eorum non potuisse non inferi an-
nalibus mentionem, nisi, neglecta aut plane omissa illorum memoria, ne-
que historici omnes peractas esse partes, neque integram lectoribus fidem
approbari, affirmandum fuerit.

Sed ipsam nimii quoque libertatis patrocinii, cuius insimulari possit,
vituperationem singulis Livii, quae ad hanc rem alludunt, locis extenuasse
ab eoque removisse mihi videor. Quod quia non nisi obiter et modo levi-
ter transeundo fieri adhuc poterat, hinc operae pretium est visum, eandem
rem paulo altius repetere et apertius hic ostendere, quam minime omnium
Noster in condenda historia Rom. temerario libertatis studio operatus fuerit.
Quod quidem argumentum aliis ad doctrinae opinionem longe speciosiori-
bus ea re merito praetuli, quoniam non modo adolescentiae, nostris initia-
tae sacris, emolumento non alienum, sed officio meo, cuius haud exigua
pars in excitando ad legendos optimaе notae Auctores cernitur, ipsisque his
vel maxime temporibus sic satis accommodatum esse duxi. Neque enim
fore quemquam facile, arbitrator, rerum, quae nostro hoc aevo acciderunt,
vel mediocriter peritum, qui huius hac in re causae gravitatem non intelligat.

Hac nimirum aetate, qua effrenata praesertim et caeca libertatis licentia
furere coepit, non defuere, qui praecipitata quadam opinione adducti, vete-
res Graeciae Latineque scriptores foeda illius pestis labe adspergerent, ejusque
aliquam causam in illos transferrent; quique nimio opere suspicarentur, hos
includere atque alere seditionis undique grassantis semina, nec parum effe-
cisse ad instillandum animis lectorum maxime juvenilibus rerum novarum
studium, et dissipandam adeo libertatis transrhenanae vesaniam. Hinc viam
munitam esse, autumant, per quam pestifera illa lues in omnes patriae fi-
nes irrepserit latiusque ad nos manarit. Hinc hostiles illi, clamant, adver-
sus regiam potestatem impetus; hinc illa infelicissima de libertate pugna, in-
deque ortae universorum regnorum et civitatum perturbationes! Periculum
itaque esse, somniant, ne seditiosa antiquorum scriptorum tuba excitati iu-
venes hinc inde pacem domesticam turbare legumque sanctitatem proprio

a 3

aufu

*) Non ea quidem sententia, qua ita cognominatur a *J. Tolando*, Anglo, in libro illo famoso, qui
inscribitur: *Αδεισιδαιμον* s. T. Livius a superstitione vindicatus, Hag. Com, 1709, 8.

ausu violare tentent; atque metuendum, ne odium commune suscipiant in reges ac principes, quos infaustis tyrannorum nominibus toties ab illis notatos audiverint. Hinc non posse fieri, pessimo omine augurantur, quin nostri factiosi fiant et tumultuosi, novasque, priscis subversis, imperii formas tacite moliantur; et tantum abesse, ut, si quid forte in institutis humanis minus probatum fuerit, lenta quaevis remedia a divina providentia expectent, ut ea potius videre malint seditionis mala, quae nostra aetas in vicina gente vidit atrocissima.

Hanc rem ultro citroque in scriptis disputatam, modo impugnatam modo defensam, sed dignam certe, quae ab aequis rerum arbitris diligentissimisque humanae naturae spectatoribus altius inquiratur, ad hominum salutem maximam et gravissimam, equidem mihi non sumo eruendam; res tantum fit mihi cum Livio, quem, quantum per circumscriptos huius prolusionis limites fieri potuerit, ab immerito *ελευθεριουμανίας* crimine absolvere allaborabo.

Ac *primum* quidem, ut ne longe abeam, quae de causa, origine ipsaque vi et efficacia libertatis apud Romanos hic commemorat, non eo scribit consilio animove, ut huius imitandae studium atque cupidinem apud alios quoque populos excitet aut inflammet; attamen, si iusta historici munia obiisse vellet, patriae historiae annalibus intexenda erant omnia, quae tradit de exactis Tarquinio eiusque filiis, de direptis bonis regis, de regno abolito, de civitate pari iure administrata, et quaecumque omnino unius imperio adversari liberiorique reip. statui favere videantur. Sola insuper pietate in patriam tactus, laudat eos, qui regnum abrogarint a Tarquinio indigne quidem usurpatum, quique regiae superbiae, ambitionis et violentiae impatientissimi, singulari virtute libertatem huic tyranno ereptam civibus restituerint. Sola reipubl. caritate victus, in medio ponit acerrimos quosque libertatis vindices atque custodes, quos ardens illius amor odiumque in Tarquinos immortalitate donaverit. Haec vero Bruti aliorumque exempla Romanus ille civis civibus proponit Romanis, non exteris, non alienigenis. In gravissimo enim operis sui proœmio cives suos ita affatus: „Ad illa mihi pro se „quisque acriter attendat animum, quae vita, qui mores fuerint, per quos „viros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium „sit” &c., addit: „Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi „tuaque reipubl., quod imitere, capias; inde foedum inceptu, foedum exitu, quod „vites.” Verum etsi sunt et nostra adhuc aetate lectores, qui illam Romanorum

norum republ. eorumque res gestas atque ferventem libertatis ardorem non sine voluptate intueantur; tamen vere nunquam affirmari poterit, hos vetustae illius gentis admiratores a Livio incitari aut stimulari ad æmulandam fervoris, quo illi exarsere, in execrando regno importunitatem; vel praeparari ab eo ad turbas movendas; vel adeo pronos reddi ad immoderatam licentiam violenter assequendam. Neque videre mihi videor, qua ratione ex his cogi queat et effici, fore, ut qui istas libertatis Rom. picturas splendidasque virtutis imagines contemplantur, iuvenes ingenui paulatim suscipiant intempe- que foveant eandem libertatis cupidinem, idem in reges ac principes odium, eosdemque sensus et studia, quae proxime accedant ad aevi nostri conatus.

Tum etiam, quod tam vividis coloribus depingit, odium implacabile in Tarquinium non in ceteros Romanorum; ne dicam, aliorum populorum reges iustos ac moderatos extendit aut exferit. Nunquam id elaborat, ut similitatem invidiamque in omnes reges ac principes cieat et sufflammet, eos fucata aut ficta oratione increpet, eisque eandem, quam Tarquinio, tyrannidis, impotentiae et crudelitalis maculam inurat. Neque id agit, ut civitatum liberarum vel rerum, uti hodie dicuntur, publicarum felicitatem nimis extollat, e contraria parte omnem regiam dignitatem intemperanter laceret, aut quodcunque unius imperium maledico dente carpat. Ac profecto, si qua, haec mihi videtur iniquissima criminatio a Livio plane amolienda. Ipse potius regnis legitimis, moderatis et iustis iustas quoque suas tribuit laudes; quippe „*Servii Tullii tam mite ac tam moderatum imperium fuisse, ait, *) ut bono etiam moderatoque succedenti regi difficilis æmulatio esset. Ceterum id quoque, inquit, ad gloriam accessit, quod cum illo simul iusta ac legitima regna occiderunt.*” Deinde autem bene observans, Tarquinii superbiam fecisse, libertas ut laetior esset Romanis, disertis iisque memorabilibus sic pergit hisce verbis:**) „*Priores ita regnarunt, ut haud immerito omnes deinceps conditores partium cœptæ urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctæ multitudi- ni addiderunt, numerentur; neque ambitur, quin Brutus idem, qui tantum gloriæ, superbo exacto rege, meruit, pessimo publico id facturum fuerit, si libertatis immaturæ cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset. Quid enim futurum fuit, si illa pastorum convenarumque plebs — soluta re- gio metu, agitari cœpta esset tribuniciis procellis? Dissipatae res non- dum adultæ discordia forent: quas fovit tranquilla moderatio imperii*” etc.

Acce-

*) L. I. c. 48.

**) L. II. c. 1.

*Accedit, quod Noster admodum sit parcus in laudandis exilibus, quibus Romani nonnunquam utebantur, artibus ad obtinendam libertatem recens natam, atque adeo hos hac in re iuris et aequi fines transcendisse fateatur. Exemplum interjalia satis illustre nobis suppeditat acris eius, quam fert de indigna civium in Tarquinium Collatinum acerbitate sententia. Alterum hunc primorum, qui reges eiecerant, Coss. quum propter solum nomen ac genus non modo displicere populo, sed libertati officere videretur, auctore inprimis et suafore collega Bruto sponte se abdicasse consulatu, rebusque suis Lavinium translatis civitate cessisse, constat. Haec relaturus, ingenue prae se fert Livius *): „Nescio, an nimis undique eam (libertatem) „minimis quoque rebus muniendo modum excefferint; Consul is enim „alterius, quum nihil aliud offenderit, nomen invisum civitati fuit.” Quo referri etiam possunt, quae de rege sacrificulo praemiserat: „Quia quaedam publ. sacra per ipsos reges factitata erant, ne ubiubi regum desiderium esset, regem sacrificulum creant. Id sacerdotium pontifici subicere, „ne additus nomini honos aliquid libertati officeret.”*

Ceterum, si quis aliquam inter veterum Romanorum et Neo-Francorum rerum commutationem ex Livii annalibus eruere velit coniunctionem, equidem concesserim, mixtam fere esse ex illorum republica, quam hi moluntur, et coagmentatam, hosque in cudenda novae civitatis forma desumpsisse nonnulla et transtulisse, quae a Livio aliisque tradita leguntur de deleta regia potestate ac nomine, de conscriptionibus et publicationibus bonorum, itemque de quibusdam legibus, magistratibus et publ. institutis. Neque negaverim, quae de novis Neo-Francorum diebus festis, altaribus signisque, Libertati sacris, ad nauseam usque decantata, ludicrum illius gentis in rebus feriis ingenium haud obscure produnt, ea omnia aperte referre quandam cum Romanorum ritibus similitudinem. Largiendum quoque facile, ceteris moribus factisque illos potissimum voluisse imitari aut superare adeo vetustae gentis illius animum excelsum ac generosum, suamque ipsorum nequitiam dissimulatos, sibi aliisque persuadere summopere conari, nefarias suas caedes et rapinas eodem, quo apud Romanos, modo et consilio, eademque pietate atque virtute esse perpetratas; quo factum, ut pessimus quisque eorum, cruentis et scelestissimis conatibus infamis, Bruti nomen famamque impudenter affectaret et facile consequeretur. Quae vero his insit ratio, quam

*) L. II, c. 2.

quam ob rem Noster pessimam Gallorum causam adiuvissē, eorumque mentes ad eam praeeparasse argui possit, haud cernitur.

Iam vero Livianam descriptionem Rom. civitatis ab ea, quam Galli simulant et gloriose ostentant, longissime differre, nemo est, quin perspiciat. In illa obtinuisse memorantur deorum metus et religio, eaque sanctissime culta: in hac nulla adeo publica religio, cultusque Dei vel nullus vel violatus, imo prohibitus atque vetitus; in illa vigeant leges caeque paucae, sed severae: in hac leges innumerae, sed frivolae, sed contemptae, prius saepe abrogatae quam sancitae, perpetuisque exceptionibus obnoxiae; in hac magistratus strenui et gravitate praediti: in hac dictatores nimio quidem plures, sed plurimi eorum futiles ac inertes, hinc auctoritate privati ludibrioque habiti; in illa prudente et constante consilio gerebantur cuncta: in hac mutabili furentis et factiosae plebis arbitrio; illos nobilitate animi veroque patriae amore impulsos magnitudine rerum gestarum excelluisse legimus: hos omnibus potius discordiae furiis agitato et crudelitatis avaritiaeque stimulis irritatos nefanda facinora et flagitia turpissima commisisse audimus. Praeterea abstinebant illi a nefastis caedibus, violentis suorum exterorumque rapinis, a scelestis sacrilegiis, atque ultima civium omnium et sociorum perniciē, quibus nisi singulis libertatem neque parari neque obtineri posse hi putant. Tarquinium crudelem et superbum expulisse quidem regno, eiusque bona diripienda plebi dedisse illos, non ignoramus; hos autem regem bonum sane ac innocentem nefarie trucidando, atrocissimi sceleris maculam sibi contraxisse, nulla unquam seculorum oblivione delendam, prudens nemo et cordatus ibit inficias: ita, ut neque vel in excusando vel laudando Tarquinii exilio Gallis patrocinari dici possit Livius.

Hic quoque, ut generatim atque universe dicam, non eam commendat civitatis formam, quae quibuslibet pudoris, decori iustique vinculis soluta, cuivis quidquid agendi licentiam permittat, vel in qua nec religionem tueri, sed extirpare; nec leges sapienter conditas, sed inficetae plebis decreta sequi; nec optimos, sed omnes regnare; nec omnes, sed nullum obedire, fas sit. *Libertatis enim originem inde magis, quia annum imperium factum est, quam quod deminutum quidquam sit ex regia potestate, numerat; omnia iura, omnia insignia tenuisse consules; rerum divinarum inprimis habitam curam, imperiaque legum potentiora quam hominum fuisse, ait* *).

Omnia igitur, quae de bene constituta Romanorum civitate avert,

b

in

L. II. c. I. et 2.

in eo conspirant, summum eorum fuisse propositum, ut religio legesque sancte et inviolate colerentur atque observarentur, et quibus imperii cura demandetur, eligerentur optimi iidemque prudentissimi; reliqui autem his, qui imperent, morem gererent fidemque et obedientiam praestarent. Sed num haec tam lubrica sunt atque seditiosa, ut lectores abripere valeant ad probandam Gallorum vesanam libertatis cupidinem illisque aperte contrariam?

Ne praefationis autem modus excedatur, materiam hanc modo degustatam, in aliud tempus reiicio consummandam, et progredior ad indicendam, quae proxima hebdomade instat, publicam Gymnasii lustrationem, quam die Lunae hora IX.

VIR PRAECELLENTISSIMUS ET DOCTISSIMUS
IOANNES CHRISTOPHORUS TSCHIRPE
 ILLUSTRIS GYMNASII DIRECTOR

carmine latino, quo *iuvenes ad confidendum Deo in omnibus vicissitudinibus admonentur*, aperiet. Hinc class. sel. et I. civium vires recognoscuntur, idemque horis post merid. consuetis continuabitur. Die Mart. ante et post merid., uti et postero, class. II. et III. alumni profectuum specimina dabunt; reliquarum vero classium discipulis, sub examen vocandis, dies Jovis destinatus est.

Vt significantur etiam cetera, quae lustrationem peractam consequentur, solennia *), die Ven. hora II.

VIR PRAENOBILISSIMUS ATQUE DOCTISSIMUS
EMAN. CHRISTIAN. GÖRWITZ

PHILOS. MAG. ET GYMN. COLLABORATOR

suas dicendi vices obibit, oratione latina *studium veterum scriptorum classicorum iuventuti commendaturus*. Qua finita et iis publice dicendi potestas fiet, qui, rudimentis tirocinii depositis, Superiorum permisso, Academiam petere cogitant.

IOANN. ANTON. SEESEMANN, Stetten-Isen., qui sermone patrio de *maximis in amicitia ad beate vivendum momentis* disferet, suo

*) Oratio ex more recepto ab EPHORO MAGNIFICO Gymnasii hoc die habenda ut intermitteretur, morbo tenaciori, quo detinetur adhuc, effectum est.

fuoque et commilitonum stipendio literario ornatorum nomine *Principali* munificentiae gratias cultu submississimoaget;

WILH. GÜNTHER HEERWART, Iſenaceniſis, *rebus in vitis fratrum Sax. Principum, Elect. Friderici Placidi et Duc. Wilhelmi III. notatu digniſſimis* latine enumeratis, carmine teutonico vale ultimum dicendi, quod ipſe et commilito abituriens debent, officium pia mente praeſtabit; quo facto, iuſſu atque auctoritate Protoſynedrii a Praecell. Gymn. Directore ſolemni ceremonia *dimittentur* uterque.

Viros igitur perilluſtres, illuſtres, excellentiſſimos, ſumme reverendos, ampliſſimos, ceteros, qui literas ornant et amant, liceat ſingulos obſervantiſſime humaniſſimeque orare, ut ad inſpiciendos diſcentium profectus et mores convenire frequentes, atque juvenilis induſtriae, quae auditorio illuſtri maxime accenditur, et ſtimulatores et approbatores praefentes adefſe dignentur.

Subiicienda reſtant praecipua diſciplinaram perluſtrandarum genera:

Cl. ſel. et I.

Die Lun.

ante merid.

Dir. Tſchirpe	{ Doctr. et dogm. et morum chriſt. Horat. od. Philoſoph. Ciceron. orat.
Prof. Köhler	
— Schneider	{ Hebraica. Homeri Odysſ. Xenophon. memorab. Socrat.

poſt merid.

Dir. Tſchirpe	{ Antiqq. Rom. duce Grunero. Geograph. mathemat.
Prof. Köhler	
— Schneider	Virgil. Aen.
Coll. Görwitz	Livius. Salluſtius.

Cl. II.

Die Mart.

Dir. Tſchirpe	{ Hiſt. Sax. ſtirp. Albert. Geograph.
Prof. Köhler	
— Schneider	{ Doctr. chriſt. Matheſ. Ovid. metamorphoſ.

Prof. Köhler	{ Phaedri fabb. Jul. Caefar. Luciani dialog.
— Schneider	
Coll. Görwitz	Cl. II. et III. Chreſtomath. graec. Gedik. Elem. phyſic.

Cl.

Cl. III.

Die Merc.


Prof. Schneider } Hist. relig. christ.
 Catonis disticha et prosod. lat.
 Geograph.

Coll. Görwitz } Chrestomath. lat. Gedick.
 Hist. univers.

In reliquis clasibus, ut antea.

Postremo etiam grata iniicienda erit mentio muneris, quod Praenobiliss. RÖDER, Sereniss. Duc. S. Wim. et Isenac. a portorio hic redigendo, haud spernenda, imo copiosa librorum bonae notae, maxime Auctorum Franco-Galliae classicorum uti et historicorum supellectile, bibliothecae Gymnasii attulit, amplissimoque hoc monumento literario memoriam sui consecravit.

P. P. d. XII. Mart. c1810 cclxxxvi.



9

peffimam Gallorum causam adiuviffe, eorumque mente argui possit, haud cernitur.

nam descriptionem Rom. civitatis ab ea, quam Galli ostentant, longissime differre, nemo est, quin perspicimur memorantur deorum metus et religio, eaque sanctissima adeo publica religio, cultusque Dei vel nullus vel vix atque vetitus; in illa vigeant leges caeque paucae, leges innumerae, sed frivola, sed contemptae, prius sanctitatis, perperuisque exceptionibus obnoxiae; in illa gravitate praediti: in hac dictatores nimio quidem eorum futiles ac inertes, hinc auctoritate privati ludibriter et constante consilio gerebantur cuncta: in hac actio saepe plebis arbitrio; illos nobilitate animi veroque sensus magnitudine rerum gestarum excelluisse legimus: discordiae furiis agitados et crudelitatis avaritiaeque stitida facinora et flagitia turpissima commisisse audimus: et illi a nefastis caedibus, violentis suorum exterorumque crilegiis, atque ultima civium omnium et sociorum periculis libertatem neque parari neque obtineri posse hi crudelem et superbum expulisse quidem regno, eiusque i dedisse illos, non ignoramus; hos autem regem bonum nefarie trucidando, atrocissimi sceleris maculam sibi commin feculorum oblivione delendam, prudens nemo et coram, ut neque vel in excusando vel laudando Tarquinii vari dici possit Livius.

at generatim atque universe dicam, non eam commendat quae quibuslibet pudoris, decori iustique vinculis fore agendi licentiam permittat, vel in qua nec religionem, nec leges sapienter conditas, sed inficetae plebis deimos, sed omnes regnare; nec omnes, sed nullum obediatis enim originem inde magis, quia annuum imperium mod deminutum quidquam sit ex regia potestate, numera insignia tenuisse consules; rerum divinarum impria, imperiaque legum potentiora quam hominum fuisse, r, quae de bene constituta Romanorum civitate adest,

b

in

it 2,